



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Artic. III. Quid in bello justo liceat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

171. *Laym. l. 2. t. 3. cap. 12. n. 8. Az. Mald. Regin. contra quosdam apud Dian. tom. 2. t. 5. misc. R. 69. & tom. 3. t. 3. Res. 7. C. Lugo l. c. Escob. E. 7. c. 8.*

XII. Miles intelligens bellum esse injustum, in quo est, non potest absolvi, nisi velit, quam primum potest, curare dimissionem, & interea abstinere ab actibus hostilitatis, v. g. cæde, præda, &c. v. *Laym. lib. 2. t. 3. c. 12.* An autem talis possit occidere militem hostilem se invadentem, v. *Escob. E. 7. t. 8.*

ARTICULUS III.

Quid in bello justo liceat?

Resp. Etsi circa hostes in bello justo liceat ea omnia facere, quæ ad finem belli sunt necessaria, v. g. occidere, spoliare, &c. innocentes tamen (quo nomine intelliguntur pueri, qui arma gestare non possunt, mulieres, senes, Religiosi, Clerici, peregrini, mercatores, & rustici) directè vitâ spoliari non possunt, bonis tamen externis possunt, si sint pars Reipub. hostilis, aliterque finis belli obtineri non possit. *Moli. Bec. p. 2. c. 10. 21. & 12. Laym. Fil. n. 191. &c.* Ratio est, quia cum sint pars Reipub. possunt propter hujus delicta puniri, in iis bonis, quæ Reipub. dominio subsunt. *Vnde resolves.*

I. Per accidens licet aliquando comburere etiam Ecclesias, & hostes ex iis extrahere, in iis spoliare & occidere, si v. g. Ecclesia velut castro, ad repugnandum utantur. *Sylv. V. bellum n. 11. Sa. Bon. p. ult. s. 3.*

II. Contra hostem licet uti insidiis, & stratagematis, dummodò absint mendacia, etsi etiam hæc,

v. gr. quando exploratores se fingunt amicos, non sunt mortalia. Ea verò, ad quæ cavenda nulla prudentia datur, v. g. veneno inficere pureos, aquas, glandes, sunt contra jura belli, nec licent. *Moli. d. III.*

III. Fides hosti data servanda est, nisi vel coactus dederis, vel in grave detrimentum cedere Reip. aut Religionis; aut si hostes eam non servant, aut denique conditiones ac circumstantiæ planè sint mutatae. *Dual. Palau. Dian. l. c. R. 10. v. etiam Laym. l. 2. t. 3. c. 12. 1*

IV. Capti in bello, etiam ex parte capientium justo, nisi obftet scandalum, aut specialis promissio, possunt fugere, & bona hostium secum auferre, *Laym. l. 2. t. 3. c. 12. num. 16.* An obsides liceat occidere, v. supra *dub. 4. cap. 5.*

V. Potest quidem aliquando, (rarè tamen, & non nisi ob causas gravissimas) dari urbs in prædam: milites tamen privata autoritate prædas agere, aut hostibus damna inferre non possunt, quia sunt executores tantùm & ministri, v. *Sa. v. bellum. Laym. hic l. 2. tr. 3. c. 12. Fill. n. 198. Dian. p. 6. t. 4. toto.* dum autem urbs spoliatur injustè, gregarios milites tantùm teneri ad damnum, quod ipsi intulerunt, probabile esse; docet *Dian. l. c. R. 31. ex Sylv. Nav. &c. Item p. 3. t. 5. R. 86. v. infra t. 4. c. 2. d. 3.*

VI. Milites peccant cum onere restituendi, si à Rusticis, aliisve apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt, auferant, aut invitis extorqueant, vel etiam donata accipiant (nisi constet omninò liberè fieri, si quidem donationes istæ ple-

plerunque non spontaneæ, sed coactæ sunt) præter ea, quæ ex constitutione Principis iis debent subministrare: nisi tamen sint in extrema, vel saltem gravi necessitate, *Moli. Cõn. Palaus. Bec. &c. Dian. p. 6. t. 4. R. 26.*

VII. Repressalia licita sunt his conditionibus, 1. ut manifestè constet cives alterius Reip. fecisse injuriam, 2. ut superiores illorum rogati recusent administrare justitiam, 3. ut constet eos culpabiliter id recusare, 4. ut Princeps supremus causa cognita id concedat, 5. ut non inferatur plus damni, quam justa satisfactio requirit, 6. ut non concedantur in personas Ecclesiasticas, *Moli. Dian. p. 4. t. 4. R. 72. ex 18. aliis.*

Quares. Ad quem pertineant bona hostibus erepta.

Resp. I. Immobilia cedunt Principi, aut Reipublicæ: mobilia fiunt capientis, nisi consuetudo habeat, ut pars cedat Principi, & communitati. II. Jure Cæsareo, nisi consuetudo sit contraria, bona ablata justo bello, qui ea injustè possidebant, fiunt capientium, postquam ea in sua præsidia deportarunt. *Valent. tom. 3. d. 4. q. 18. p. 3. Molin. d. 18. & Hurtad. tom. 2. d. 169. f. 119. ubi requirit, ut una saltem nocte possederint, v. etiam Sylv. Bonac. l. c. de peccatis in bello committi solitis. Trul. l. 2. d. 10.*

& seq. Dian. p. 6. t. 4. R. 23. ubi contra Durand.

docet hanc sententiam esse in præxi tutam,